Et neminem salutaveritis in via. Fortasse quibusdam hoc durum et
superbum nec mansueti et humilis domini praecepto convenire vi
deatur, quod ille qui in accubitionis loco praecepit esse cedendum,
hoc loco mandet discipulis: neminem salutaveritis in via, cum iste com
munis sit usus gratiae. Sic inferiores superiorum sibi favorem conciliare consue
runt, gentiles quoque cum christianis sint huiusmodi officiorum commertia. Quo
modo ergo dominus hunc usum humanitatis avellit? Sed considera non hoc esse solum: ne
minem salutaveritis, sed non frustra additum in via. Denique et heliseus
cum mitteret servum suum ut baculum eius poneret super corpus pueri de
functi, mandavit ei ne per viam aliquem salutaret. Festinato enim iubebat
eum conscendere, ut celebrandae resurrectionis exsequeretur officium,
ne confabulatione alicuius obvii mandato flecteretur a munere. Ergo
et hic non salutationis officium ac sedulitas aufertur, sed obstaculum impe
diendae devotionis abolitur, ut quando divina mandantur, paulisper
sequestrentur humana. Pulchra est salutatio, sed pulchrior quo maturior
exsecutio divinorum, quae per moram saepe contrahit offensam. Ideo autem et honesta
prohibentur, ne sollemnis gratia obrepat officii et impediat ministeri
um, cuius mora culpa sit. Iam iam illa moralia (al. scire) ne de domo ad domum
quis vaga facilitate demigret, ut servemus et in hospitali in amo
re constantiam, nec coalitam amicitiae necessitudinem facile resolvamus.
pacis praeferamus nuntium, ut ipse primus ingressus pacis benedictione
celebretur. cibo potuque oblato oportere nos esse contentos, vexilla
fidei non premenda, et regni caelestis evangelium praedicandum, excutiendum de
pedibus pulverem, si qui recipiendos civitatis hospicio non putaverint.

Docet etiam graviori poenae obnoxios fore. *xlvi.*
qui evangelium non sequendum quam qui legem iudicaverint esse solvenda,
eo quod tyrus et sydon si tanta operationum caelestium vidissent
miracula, non desperassent remedium paenitentiae. ista quoque vel affiu
entiam vel insolentiam significare, neque caelesti munere comparanda, neque
rursus sine remedio derelinqui, cum unicuique sit subsidium paenitendi.